in partu insequenti quo de mari exceperat. Et dum haec et alia
diceret, erectis sursum genibus uberum fletuum imbribus
madefacta, dum divertit se in partem aliam, in vultu aspicit suum
filium eo loco ubi eum dormientem reliquerat et in ipso
adhuc sopore detineri. Estimans autem esse defunctum
accedit comminus quasi cadaver collectura exanime;
sed cum eum dormire cognovisset et excitatum velociter
expectantibus populis et admirantibus incolomem levavit
filium suum in ulnis. Et laudem pariter omnes
dederunt deo qui salvos facit sperantes in se. Mulier
autem pro gaudio in ducens cordis sui ardorem commotaque
viscera eius super eum sicut aqua quae multe cooperient mare
ita lacrimis inrigabat et osculabatur. Coepit autem
eum interrogare ac dicere inter ipsa oscula ubi per
totum annum fuisset et spatium. At ille nescire se aiat
si annus integer praeterisset et sic tantum dormisse
suavi sopore sicut unius noctis spatium. Tunc iterum
atque iterum omnis populi qui aderant benedixerunt dominum
nostrum Iesum Christum qui tanta mirabilia ostendit ser-
vis suis per beatum Clementem martyrem atque pontificem
huius almae Romae cui est honor et gloria potestas
et imperium in saecula saeculorum amen.

INCP VITA SCI ET BEATISSIMI BENEDICTI ABB

Fuit vir vitae venerabilis gratia benedictus et nomine,
ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile. Aeta-
tem quippe moribus transiens nulli animum volupta-
tem dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset quo tempo-
raliter libere uti potuisset, despexit iam quasi aridum
mundum cum pluribus qui liberiori genere ex provincia